

Littera ad Capitulum Varmiense.

377

Venerabiles Devote nobis dilecti! Postquam Serenissimus Princeps Joannes Albertus frater noster Varmiensem Cathedram in Cracoviensem commutavit, exactius in eam cogitationem incumbere debuimus, quem in locum ipsis potissimum substitueremus, una enim diligendus erat, qui dignus tanta successione, par tanto muneri foret non episcopalem modo, sed senatoriam etiam complectendi dignitatem. Neque vero latius patere potuit, ut in aliis Cathedralis diligendi facultas ad solum Devotionum vestrorum Collegium veteri instituto redacta, quod nisi polleset viris tanto molis capacibus, haud facile fuisset tam arduum expedire negotium. Sed cum primo statim menti nostrae obvius fuit Reverendus Dominus Nicolaus Syzhowski, Secretarius maior regni bono collegii vestri fato non ita prudem ei insertus, in quo domesticis clarissimi patris exemplis, et publicis in republica, et ecclesia munis erudito nihil amplius desiderabatur, quam ut partem suae virtuti campum, dignum suis meritis premium nancisceretur. Hec ambigimus, quod Devotiones vestrae promissum ipsum ambient studiis, et tacitis iam suffragiis preoccupent, non prius iudicio nostro regio, quam votis Devotionum vestrorum episcopum destinatum, eum igitur adiectis aliis tribus ex eodem collegio vestro Andrea Jagurmy, Andrea Lysakowski, Georgio Markwart pro iure nostro regio, et veteri more Devotionibus vestris proponimus, ac nominamus benigne requirentes, ut illum ex his quatuor candidatis nostris ad episcopatum suum eligant, cui ius, ac suffragium nostrum regium, cui genus, dignitas, virtus, merita, vota quoque omnium bonorum adstipulantur, quemque plenius nostro nomine com:

ne commendabit illis venerabilis Jacobus Wierbie:
ta Dorochowski archidiaconus Varsaviensis, secretari-
us, et inter nuntius noster, cui ut fidem habeant Devo-
tiones vestras, et voluntati meae studia, ac suffragia sua
accommodent, benigne flagitamus, eademque bene va-
re cupimus.